

Commentatiuncula **3r** 24619

NON ESSE EX E-
VENTIS DE CONSILIIS

ACTIONIBVSQ; HOMINVM

pronuntiandum: de exordio versus

Ouidiani: Exitus acta

probat:

Ioachimi Camerarij.



Lipsiæ typis Ernesti Vogelini.

M. D. LXXII.



4622125



IOHANNI A CRA-
CAVV, ADOLESCEN-
TI NOBILITATE GENE-
ris equestris, virtute, studio pietatis hone-
statifq; & bonarum artium
præstanti,
S D.

QUod meministi nostræ in puerili institu-
tione consuetudinis atq; vsus, virtutis &
humanitatis tuæ est. Meum etiã officium præ-
statur in memoria animi grati ob tuam perpe-
tuam propensamq; erga me voluntatem, & fru-
ctus cõiunctionis nostræ suauissimus percipi-
tur. Vt autem amor in prima ætate & cultu li-
beralium studiorum susceptus, tam diuturnita-
re quam iucunditate, & inprimis humanitate
commendatur, sic complures cum illam copu-
lationem ne curant quidem, tum vel leuitate
vel contentu aliorum inchoatam relinquunt,
& prioris beneuolentiæ prorsus deinde obliui-
scuntur. Atq; confido istud mutui amoris nostri
vinculum annis auescentibus, & iudicio exi-
stente firmiore, arctius astrictum iri, nedum
dissolutionis incommodum pertimescẽdum sit.
Deq; me id ita fore, abs te pero, vt prorsus tibi
persuadeas, quemadmodum de te id ipsum mihi
absq; omni dubio polliceor. Naturæ quidem tuæ
bonitatẽ & ingenij probitatem nuper perspicue

declarauit, non solum tristitia tua ob præcepto-
rem nostrum Georgium Fabricium Chemni-
censem, qui in terris viuere desijisset, sed hone-
stissima quoq; testimonia, integritatis, diligen-
tiæ fidei, beneuolentiæ erga discipulos ipsius,
seueritatis admirabili lenitate temperatæ, mo-
destiæ deniq; & humanitatis, in omni conditio-
ne & ordine pulcerrimarum laudum. Etsi aut in
illo viro bona, quo nos tempore Misenæ cum
habuimus Magistrum, per ætatem à nobis intel-
ligi æstimarique non potuere, meministi ta-
men, nos admirantes simul & diligentes eum o-
mni obseruantia coluisse, reuerentes vt præce-
ptorem atque doctorem, & carum habentes tan-
quam parentem. Et nunc quam curam, vigilan-
tiam, assiduitatem præstiterit instituendis, eru-
diendis, custodiendis nobis recogitando, & cer-
tius considerando, in pleniore cognitione veri-
tatis letantes glorientesque & gratias agentes
Deo æterno, id perhibere possumus vterque de
Magistro nostro Fabricio, quod de fratre comi-
cus adolescens: Satis certe scio. Nunquam ita
magnifice quicquam dicam, id virtus quin super-
ret tua: Et, habuisse nos vnam hanc rem præci-
pnam: Magistrum homini nemini primarum ar-
tium magis principem. In me etiam credo fuisse
propensio-rem voluntatem illius, quod ei cum
meo patre singularis necessitudo esset, & sum-
ma coniunctio in animorum studiorumq; simi-
litudine, bonarum litterarum artiumq; doctri-
nam vtroq; ad veritatem celestis doctrinæ & pi-
am

am ac religiosam Dei æterni venerationem dirigente. Sed de hoc plura à me dicenda non sunt, neq; dici possunt ea, quæ meretur ingenij illius præstantia, & morum honestas, pietas, humanitas, scientia optimarum disciplinarum, studiumq; & industria, atq; labores incredibiles in comparanda, augenda, excercenda erudita doctrina, & faciendo officium nobis instituentis & regendis. Dicunturq; hæc & dicentur ab alijs, à quibus melius celebrari possunt, & nullo modo silentio præteriri debent. Mihi quidem in animo hoc casu mirifice dolente est, comparatio posita in epitaphio carmine, quod ante multos annos scripsit meus pater, mortuo dignitate, virtute & doctrina præstante viro Bilibaldo Pircamero:

Sicut ubi stridens nidis emigrat hirundo,

Iam prope tristificæ tempora sunt hiemis:

Doctorum è terris quando vita auolat, haud sunt

Sæua procul studijs frigora barbariæ.

Quod si quis est, fuit, erit, cui magnæ gratiæ agendæ sunt: *πολλὰ ὅτι πολλὰν ζῶαν τοῖς πασιν ἐν περ χεῖρσιμα:* Quemadmodum de Epicharmo scripsit Theocritus, profecto hæc Georgio Fabricio debetur, agunturq; & agentur ab omnibus pietatis, humanitatis, eruditionisq; studiosis, in memoria bene meritorum ipsius de vniuerso studio bonarū litterarum & doctrinæ eruditæ, vel non abhorrentibus saltem à castis Musis, id est alienis ab omni cultu atque decore virtutis, & barbaris ac irreligiosis. Quodq;

A 3 tur,

tur, oro Deum æternum, vt apparentibus signis
maiorum indies tempestatum, quibus liberalis
educationis, & humanitatis eruditionisq; stu-
dia obruantur, tanquã naufragij interitũ ab his
auertendo benigne succurrat laborantibus :

Collectasq; fuget nubes, solemq; reducat.

Sed vt post longiusculam sane digressiõẽ, non
illam tamen alienam, reuocetur oratio : Ego re-
miniscendo dum condiscipuli fuimus eximia
cuiusdam coniunctionis nostræ, & experiendo
constantiam beneuolentiæ erga me tuæ, valde
gausus sum offerri mihi occasionem declaran-
di animum gratum, & affectionem erga te di-
gnam tuo fauore. Quæ modo dari sane commo-
da videbatur. Cũ enim Ernestus Vogelinius spe-
cimen quoddam dari vellet quorundam typo-
rum, qui fundendo recenter effecti essent, petijt
à me; vt si quod breue scriptum haberem patris
mei, id ei vt traderem illis typis exprimendum.
Erat autem tunc valetudo patris mei admodum
infirmia, ac affligebatur hic potius grauissimis
morborum tentationibus, quæ crebro ad sene-
ctutis imbecillitatem hoc anno accedentes, val-
de eum debilitarunt. Cœpi, ipso permittente,
tunc scrutari chartas, passim iacentes atq; dis-
sipatas, & quærere aliquid quod Ernestus edere
libenter vellet, & eruditionis cupidi vtiliter esse
lecturi viderentur. Cumq; inuenirem permulta,
alia perfectã, alia, quorum maior esset nume-
rus, inchoata, elegi vnã commentatiunculã
de sententia, qua Ouidius versum quendam in-
cepisset

cepisset : Exitus acta probat. Quam petente aliquando præcipuo quodam amico scripisset pater meus. Eamq; omnino talem esse iudicaui, cuius lectio non nihil fructus liberalis doctrinæ studiosis allatura esset. Typographo quidē ad suum consilium inprimis congruere illa veluti materia visa est. Quod autem tibi præ cæteris & argumentum & tractatum illius, de quibusdam sermonibus tuis nuper habitis, placitum esse mihi persuaderem, cum hac compellatione istam disputatiunculam in publicum prodire volui, vt ad te peculiari quasi ablegatione mitteretur. Quod factum in bonam partem accipies & approbabis iudicio humanitatis tuæ. Id quod more magis, quam quod necesse arbitrarer, ascripsi. Cum sciam tibi & cognitionem eorum quæ differuntur in hoc opusculo, iucundissimā, & meam editionis procurationem gratissimā, & hoc quasi conciliationis peculiaris studium Epistolæque veluti allocutionem voluptati futuram. Quod restat, ego te & bene valere, & dignam experiri fortunam genere virtuteq; tua, ex animo opto, Teque volo pro certissimo habere, meæ tenuitatis officia semper fore tibi paratissima. Vale. Lipsiæ x i. Cal. Ianuarij, qui mensis inchoat annum Christi Iesu M. D. LXXII.

*Ludouicus Ioachimi F.
Camerarius.*

NON ESSE EX EVENTIS
de consilijs & actionibus pronuntiandum.

Commentanti mihi aliquando hos versus, qui leguntur in Ovidiana Phyllidos epistola:

Exitus acta probat, careat successibus opto,

Quisquis ab eventu facta notanda putat.

Primum ipsa quasi contrariorum appositio scrupulum iniicit. Si enim probat exitus acta, cur non astimetur illa ab eventu? Sed cum accuratius de sententia poeta cogitare animaduerti, elegantem esse refutationem eius quod vulgo soleret fieri, ut ab eventu aliquid probaretur improbareturue, & illud quasi proverbum sermone populi tritum, detestando accusari. Tribuit enim dictum istud fortune omnem in rebus humanis modo potentiam sed laudem quoque. Quod breuiter vno Græco versiculo affirmatur, quem Cicero ita est interpretatus:

Vitam regi fortuna non sapientia.

Plauti autem pseudolus disputando copiosius Philosophatur, ut ipse ait, Pindarica fortasse enarrans & Euripidea. Quorum illa prosperitate fortune omnem bonam existimationem contineri perhibent: Hæc autem exposita iambrico senario nos sic conuertimus è Græco in Latinum:

Felicitati tribuimus sapientiam.

Herodotus quidem mirabili breuitate Solonis verbis, πᾶν, inquit, ἀνθρώπος ἐστὶ ζυμφορῇ, significans res humanas in huius vite spacio, quod annis, mensibus, diebus, quo magis longum videatur, sapiens ille metitur, casibus versari in omnes partes, ut ex eventu atq; sine tandem de prosperitate pronuntiandum sit. Neq; sane

non

non recte perhiberi credendum, finem actionum congruere initio solere, & Græco versu præclare dicitur:

Exordium carere sine malum, bono.

Sed illa Thracica mulier, detestatur hominum istud iudicium, quod de euentis plerique facere consueuerunt, dum simpliciter decernere non dubitant, de ijs, quæ aliquorum consilia consecuta esse audiuerunt. De quo libuit post istâ considerationem quasi vagari animo longius, & in hoc ipsum plusculum impendere cogitationis.

Quo quidem loco occurrit ea inprimis mentio, quam facit summus Græciæ orator de ista ipsa re, ubi plane in oratione, qua suam ciuitatem ad Olynthi defensionem cohortatur, id refert, quod fere fieret, vt exitu diiudicarentur antea acta omnia, vel secundum euentum de ijs statueretur. Idque idem secundum pseudolum plautinum alter max. Orator Latinorum his verbis expressit:

Hoc plerique facimus vt consilia euentis ponderemus, & cui bene quid processerit, multum illum prouidisse, cui secus, nihil sensisse dicamus. Hæc igitur ad hunc modum sermonibus hominum iactari audiuntur. Nam quis aut quotusquisque non audacissime pronuntiare consuevit ex euentu de consilijs aliorum, aut non etiam illa vel reprehendit vel corrigit suo iudicio? Non aliter quam cum ceterarum artium Professores, tum Medicina inprimis, administrationes & opera aliorum. Errant in itinere aliquis, incidit in periculum, victus est in iudicio, certamine alio maiore, morbo oppressus: An obstærum est, quid tum fere dicatur? Stulte, improuide, negligenter fecit. Male sibi consuluit, peruerse agit causam, non vera ratione curatus est. Præter opinionem etiam bene euenit: Ad fortunam omnia referuntur, & hoc plarumque memoratur, ubi minimum

consilij prudentiaq; sit ibi plurimum adesse fortune prosperae. Hec igitur ad hunc modum geri patet. Sed recte ne an perperam, & vere ne an falso? nunquid dignum de quo non dementes neq; vacordes diligentius querant, esse videatur? Ego quidem sic existimo, Ea quae à plurimis fiant, non modo propter multitudinem facientum non approbanda, sed ideo etiam suspecta tanquam vitiosa esse debere. Quod vidisse sensisseq; arbitror ex veteribus sapientibus numero septem, eum cuius hoc dictum inprimis celebratur: plures esse malos. Et plane ostendit Phocion Atheniensis, vir cum virtute & prudentia excellens, tum mirabiliter amans patriae. Hic enim quodam tempore cum in cœtu populi eam dixisset sententiam, ob quam laudaretur, & assensionem approbationemq; inueniret simul ab vniuersis: conuersus ad amicos: Nunquid per ignorantiam, inquit, mali aliquid pronuntiaui? Neque est igitur ullius rei veritas de opinione aut iudicio multitudinis constituenda, quae plerumq; non solum imperita sed improba quoque est. Habet enim secundum Pindarum, cor cœcum promiscua turba & hominum plurimorum congregatio. Quid igitur ratio vincat, quam in omnibus rebus humanis valere plurimum par est, de hoc etiam quod est propositum, deinde videamus. Et quod poeta Phyllidos verbis vehementer reprehendit, ei quam possumus defensionem quasi aduocemus disputatione nostra. Primum igitur sit ne honestum & deceat de factis ex euentu iudicare ex re ipsa consideretur. Quod si quis audeat dicere, eum necesse est laudem vituperationemq; ac deniq; finem humane vite in fortuna collocare. Id quod omnium doctorum sententia doctiss. vir Aristoteles magnopere culpat. Ex cuius libris vnum
modo

modo locum interpretando exponere placuit, qui extas
in primo librorum Nicomacheorum: fortuitos casus se-
qui aliquem neutiquam fuerit rectum. Non enim in his
id inest, cui bene aut male applicatur. Ac requirit
quidem illos vita hominum, sed omnis tamen vis ad
felicitatem in efficacitate virtutis consistit, & contrarij
status, in contraria. Præclare igitur Ovidius & hoc fe-
cit: Turpe sequi casum, & fortuna accedere.

Ille quidem de amicorum vanitate conquerens, sed ea-
dem tamen querela ad hæc apta est, de quibus nunc
differitur. Princeps sane poetarum Homerus nusquam
fecit mentionem fortune in suis operibus, neque no-
men illius usurpauit, neque ab hac felicitatem infelici-
tatemue hominibus attribuit, ut Ὀτυχῆς essent aut
δυσυχῆς, sicut posteriores vocarunt: ut Sophocles his
versibus:

Τύχη γὰρ ὀρθοῖ καὶ τύχη καὶ ἀρρεπεί
τὸν Ὀτυχοῦντα καὶ τὸν δυσυχοῦντ' ἀεί.

Sed Homerus euentuum omnium causas ad vim potesta-
temque diuini numinis retulit. Cui & Theognis poeta
sane antiquus astipulatur ijs versib. quos hoc modo nos
conuertimus:

Nemo, Cyrne sibi est autor damniue lucriue,

Sed tribuente venit munus utrunq; Deo.

Quid autem ait ille apud Euripidem? Necessitatem
etiam sapientibus viris imponi, ut fortuna serui sint.
Hæc enim Græcorum versuum sententia est. At De-
mosthenes quid? Plurimum momenti, inquit, ad cun-
cta negotia hominum, ac potius omnia in fortuna sunt
sita. Atque hæc & alia his similia, quorum congerere
ingentem acervum esset in promptu, de hominum opinio-
nibus atque sermonibus expressa atque celebrata pas-
sim

sim extant. Ne autem in his ambiguitas intelligentiam confundat, fortunam voco omne id, quod in alteram utram partem ita cecidit, ut neque prouiderit, neque omnino providere illud humana solertia potuerit. Neque nunc disputo de causa talium euentuum, quos undecumque existant, tales esse constat quales diximus. Non etiam hoc dico contemnendos illos esse, cum quantum possint non me fugiat, vel supra exposito versu vel altero etiam admonente, quo optatur:

Gutta una fortuna præ dolio sapientiae.

*Nam mirabiliter in euentis diuina potentia conspici-
tur & elucet, quam etiam ludere in rebus humanis
poeta parum ille quidem grauiter dixit. Est autem
iste contemptus casuum atque euentus semper cum elatione peruersa animorum, sæpe cum stolidâ negligentia coniunctus. Quæ sunt eiusmodi, ut vix unquam infelices exitus non habeant. Atque traditur Timotheum Cononis filium, cum in multis quæ gesserat, fortuiti euentus prosperi animaduertenterentur, hoc nomine ab emulis notatum, ut qui non virtute excelleret sed extolleretur fortuna: Eum vero aliquando vel inuita fortuna bene se rem gesturum esse iactitasse, & postea nihil feliciter processisse omnium quæ aggrederetur. Scitis autem seu decretis quondam ciuitatum Græciæ, quæ Ὑπὸ φέραια vocabantur, ut bene id, quod agebatur, eueniret, præscribere solebant, τύχη ἀγαθή, quemadmodum maioribus negotijs Romani præfari. Quod felix, faustum fortunatumque esset. Cum quidem non modo ut prosperi euentus sint, sed consilia quoque ut ineantur & suscipiantur actiones quales debent, non industria neque sagacitatis humane, sed fauoris sit & benignitatis diuinæ. In hac incidit & Fati considera-
tio,*

tio, quo omnia ita fieri, quidam veteres Philosophi censuerunt, ut id fatum vim necessitatis asferret. In qua sententia Democritus, Heracletus, Empedocles, Aristoteles fuit, quemadmodum scripsit M. Cicero. Quae disputationes pepererunt eum, quem λόγον ἀργόν Græci vocarunt, Cicero ignauam rationem & inertem, cui si pareamus, nihil omnino agamus in vita. Verum ad aliam iam ista deferuntur questionem admodum difficilem, & res subiiciunt inenodabiles, quos veluti scopulos hoc cursu declinandos esse duximus. Sane ut res omnes eo euadere consentaneum est, quo veluti incitata atque prouecta consulendo & agendo fuerunt sic non est ex euentu iudicium etiam simpliciter de consilijs actionibusq; faciendum. Atque est hoc quoque luculente factum:

Nullum numen abest si sit sapientia.

Vtq; Medicinæ arti quanquam necessarius, quasi flatus secundus fortunæ in sanandis ægrotis, & scientiæ tamen experientiæq; hanc esse comitem statuendum, neque curatio depositorum ad fortuitos casus reiicienda est, Quod similiter & de gubernatore navis dici potest: Sic in cæteris rebus optandum quidem, ut consilia actionesq; feliciter eueniant, non tamen quid euenerit, sed quid consultum actumue sit, spectandum est. Et ideo fortes sapientesq; viri recte faciendo non gloriam aut premia sequi solent, sed ipsa recte facta. Non illi quidem existimationem hominum de se negligentes aut paruipendentes, id quod stulte est arrogantia atque insolentiæ, sed in conscientia acquiescentes sua, & illa contenti, permittentes, quemadmodum dici solet, Deo cætera. Et eo fit, ut bonos prudentesq; & graves viros nunquam tantopere etiam maxime aduersi casus euen-

eventaq; moueant quantopere caussa illorum: Quæ con-
silijs actionibusq; continentur. Quid enim consulant a-
gantq; penes se esse norunt, quo autem euadat, suam po-
testatem superare sciunt. Atq; eam ob rem, euentus
vt prestetur, postulare, iniustum inhumanumq; est.
An non autem absurdum sit? hominum consilia actio-
nesq; vite euentu ponderari non voluntate & per se spe-
ctari, & non accommodari his euentus, cum qui aleam
ludunt, quando vicerunt victime sunt, quid consulen-
tes & facientes potissimum victoria potiti sint, recor-
dari consueuerint, & eo vtriusque fortune euentum
applicare. Vt qui victus in ludo XII. scruporum re-
petito totius certaminis ordine, ita deprahēdit errorem,
qui causam vt vinceretur dedisset. Sed sæpe & diligen-
tia summa virtusq; in fine desinit non optimo, & negli-
gentia ac vitium habet exitum felicem. Hæc quidem
ita fieri constat, sed non ideo tamen & illa laudem vi-
tuperationemue merentur, à quibus hic recedens dis-
sentaneus extitit. Neque sapientes, quamuis consilia
euentus frustretur, accusanda illa, culpandaue esse du-
cunt. Quod si euentus demonstrant consiliorum actio-
numq; honestatem & laudem, vel contra turpitudinem
atque puerilitatem, Qui locus veniæ misericordiæq;
aut pœnis animadversionibusq; relinquetur? Quin et-
iam legibus non exitus rerum sed hominum consilia
vindicare scimus, & in maleficijs quoque spectari vo-
luntatem, vsque adeo vt in scriptis quoque non tam
verba considerentur, quam voluntas eius, qui scripti
artor est. Quæ copiosius disputari nihil attinet. Sed
ita degitur vita vt secundum capitalem sententiam So-
phocleam: Nihil dictorum factorumq; omnium turpe
ducatur, si habeat coniunctum emolumentum atq; lu-
crum.

crum. Cuius & hæc est nefaria cohortatio :

In spe lucri segnem esse neminem decet.

Et ista :

—— *At ipse tu sapientum more nunc
Laudato iustum inhereas sed vtili.*

*Quæ est distractio honestatis & utilitatis continens
detortionem & depravationem vitæ vniuersæ. Vbi enim
vel ipse aliquis arbitrio suo vel ab alio adductus, ideo
bene sibi se consuluisse existimat, quod cogitata atque
tentata iniuste ac improbe emolumentum aliquod attu-
lerint, Aut contra male, si rationes honestas damna
fuerint secuta, ibi non vere neq; recte viuitur. Vt igitur
mala capientibus & improba ac peruersa vesanaq;
consilia, & ea agendo exsequentibus similes exitus ex-
pectandi sunt, id est aduersi & infelices, sic spem
concupi æquum est, bonorum rectorum laudabilium
consiliorum & his congruentium actionum progressio-
nes eas futuras esse, ut ad optatum finem perueniatur.
Quod si aliud, ut fit, acciderit, Nam consiliorum actio-
numq; exitus non in nostra sed Dei manu sunt, καὶ ἐν
τῷ Θεῷ τὰ τῶν τέλων, secundum Pindarum & hunc
secutum, ut videtur, Demosthenem, non ideo vel sce-
lera atque turpitudinem commendari, & virtutem ac
sapientiam infamari: Neque causam de euentu, sed
consilijs actionibusq; ducendam esse, existimandum.
Stramnes quispiam Persa, cum admirans ex eo quære-
ret amicorum vnus: Qui fieret ut consilia rationesq;
ipsius præclaræ, non procederent feliciter neque prospe-
ros haberent exitus? respondens, quia consiliorum,
inquit, meorum ego sum Dominus, sed euentuum
domina est fortuna. Atque hæc est pestis qua delibe-
rando & consultando veritas enecatur, cum disceditur
à consi-*

à consideratione iusti & recti, & indulgetur cupiditatibus, animoq; mos geritur assentando vel sibi vel alijs, & cum euentus videntur respondere expectationi aliquorum, tum & rationes quas illi secuti fuere magnifunt & contrarie exagitantur. Quod quidem consiliatorum genus improbum est & nequaquam fidele. Neque hi hominis vllius amici sunt sed fortune affecta, ad cuius flatus quasi vela obuertunt rationum suarum. Et qui ipsi ita affecti sunt erga sese, ñ perniciosè falluntur, & versantur in eo errore, in quo perseverantes non modo turpem vitam degere eos necesse est, sed contendere etiam ad infelicem ac miseram. Vbi enim intentus animus in euentum, id est suarum cupiditatum exitum atque finem, non cogitat quid verum & laudabile sit, & ad Deum æternum pietatis ac religionis, ad homines iusticie ac mansuetudinis commendationem habeat, Ibi in densissimis tenebris cogitationes allucinari offendereq;, & tandem ad flagitia sceleraq; prolabi oportet. Vt iam vite talis cursum non solum improbum esse & fœdum, sed procedendo ad calamitates maximas tandem deferri consentaneum esse videatur. Plutarchus narrat Antiochum regem, eum qui iterum aduersus Parthos arma expedit, quodam tempore venationi operam dantem, cum feras cupidius insequeretur, ita aberrasse à comitatu amicorum atque satellitum, deuenisseq; ad villulam hominis rustici pauperculi, vbi cum pernoctandum esset, in cœnula ipse, quem hospes ille rusticus non nosset, sermonis dedit occasionem de Rege. Atq; ibi audiuit: esse eum præstantem bonitate virum, sed aures præbere quibusdam suas parum probis atq; honestis, & administrationem negotiorum publicorum his committere, non animaduertentem sepe
quid

quid agatur. Quodq; multa negligantur res magna
atque necessaria, propter nimium & immensum studi-
um venationis. Quibus dictis, Plutarchus regem An-
tiochum tacuisse scripsit. Cum autem postero die sa-
tellites accessissent, secuti vestigia, & iam purpura al-
lata ac diadema quod imponebatur illi, eum esse regem
declararet, ibi Rex: At enim, inquit, ex quo tem-
pore vos ego gesto, primum hesterno die sermones ve-
ros de me audivi. Atque idem Plutarchus Demetri-
um Phalereum, qui & Rempub. gessit & coluit stu-
dia Philosophiæ, Ptolomæum regem Aegypti, ad quem
se expulsus à ciuibus contulerat, solitum, scripsit ad-
monere & hortari, vt compararet & legeret studiose
libros compositos de regno atq; principatu. Nam quæ
aliq; aut nollent aut non auderent monere & præcipere,
ea illis in libris esse perscripta. Quorsum vero hæc?
Vt intelligatur, à se & alijs magnopere decipi illos qui
tantum intueantur & spectent exitum quarumcunque
rerum, ac non potius elaborent, vt & consilia inean-
tur recta, vera, honesta, laudabilia, & his consen-
taneæ sint actiones, iuste, strenuæ, fortes, constantes,
præclaræ, & ita euentus permittatur Deo, penes quem
omnis potestas est, & conciliandi bona & auertendi
mala. Sed quamuis videantur improbe & scelerate
consulta atque facta eo euadere vt commodi inde emo-
lumentiq; plurimum existat: Et contra prudenter re-
cteque cogitata, actaque honeste atque constanter, exitus
habere vel parum fructuosos, vel etiam detrimento-
rum non expertes, Non ideo tamen vel illa laudanda
vel hæc vituperanda sunt. Itaque Phocionem Atheni-
ensem accepimus, cum expeditione quadam, quam ma-
gnopere ipse dissuasisset, res satis bene gesta esset, insul-

tantibus de euentu ei inimicis, & quodam interrogante proteruius, Nunquid ita rem gestam esse & ipso uolet? Sane inquit uolo ita esse hac gesta, sed nilulo minus sic consulta quoq; uolo, quemadmodum sum auctore. An uero, quia Gyges ille priscus satellites Regis Lydorum Candaulis, cum regina eam rationem inijt cepitq; consilium, quo interfecto Domino suo ipso regno potitus est, nefariiq; parricidij istud tantum habuit premium, Ideo bene sibi consuluisse ex euentu perhibendus est? Itidemq; Archelaus, si eo pacto adeptus est Macedonia regnum, quo pacto legitur in *Geographia* Platonis? Lysandri dictum, cum ab ipso quodam fieri callidius atque versutius sequente utilitatem non honestatem, exprobraretur, idq; esse perhiberetur indignum Hercules genere, ad quod suum ille referret. Ad hac igitur dictum Lysandri memoratur: Quo non pertineret Leonis pellis, eo applicandam vulpinam. Hic enim id solum esse iustum censebat, quod utile, & bonestum, quod conduceret. Atque dicere solebat: veritatem quidem prestare mendacio, quid tamen his tribuendum, & quanti utrunq; aestimandum esset, id usum definire. Quodam tempore hic fœdus, quod Miletii pepigerat, ipse fregit. Quo nomine cum reprehenderetur, id modo respondit: pueros in talorum ludo, viros iureiurando esse decipiendos. Non potest dubitari, quin istius viri consilijs & actionibus aucta sit potentia Spartiatarum, sed non ideo minus in ijs dedecus hesit & turpitudine. Sane fuit Spartiatis non inusitatum, finem, quo dirigerentur consilia actionesq; ipsorum, constituere utilitatem magis quam honestatem. Itaq; ab ipsorum ducibus non pauca designata sunt, quæ ciuitati illi infamiae notas turpissimas iniecerunt.

unt. Nam ut alia omittam, an non scelerate fecit
Phœbidas? quod nihil metuentibus Thebanis, neque
causam habentibus cur metuerent, pace facta & con-
cessa libera administratione ciuitatibus singulis, quasi
pertransiens, ἡγ' ὁδὸς παγίεργος, ut Græci dicunt, cum
prefectus esset copiis, quæ in Thraciam ducerentur, &
Thebas cum illis venisset, occupauit arcem, tradente
Leontide, & prodente patriam, propter inimicitias
quas gerebat cum Ismenia, Lacedæmoniis. Etiam
grauiss. autor & beneuolus ciuitati illi imprimis Xeno-
phan, hoc factum ut impium & sceleratum reprehendit.
Quod tamen Agesilaus summus, ut perhibetur,
Imperator ita defendit, ut, si inueniretur e re esse La-
cedæmoniorum, probari deberet, quamuis hoc ciuitas
non iussisset. Probentur igitur & Atheniensium
multa cupide, temere, iracunde, furiose consulta atq;
acta, quæ exitus habuerunt fortunatos, secundum il-
lius ciuitatis fata, quemadmodum fabulis proditum cre-
ditumq; fuit, quodq; & Aristophanes ostendit:

Namq; apud nos aiunt consuli male,
Sed Deos peccata nostra conuertere ad bonum exitum.
Probentur callidæ & malitiôsæ interpretationes legum
atque iuris, quibus calumnijs auaritia sepe instruitur
atque fulcitur. Quale fuit Labeonis fallax iudiciũ fru-
stratione vtriusque partis litigantis & ereptione con-
trouersi agri. Quo etsi locupletatus tum populus Ro-
manus euentu prospero, consiliũ tamen illud fraudu-
lentum & factum improbum fuit. Non esset laborio-
sum quamplurima huius generis exempla colligere. Sed
ex his, quæ sunt commemorata, facile potest res per-
spici. Nunquam enim fere ea, quam Græci πλεονε-
κεία vocant, id est, nimiam cupiditatem potiendi

semper pluribus, & studium aliquid arripiendi, non
etiam ditari vult incommodis aliorum, & tanquam
spacium decurrens supplantando alios vincere. Quod
est iniustum. Nullo igitur prosperitatis aut felicitatis
enem ornari poterit. Neque ei qui se bonum virum
perhiberi postulet, quicquam esse prius aut antiquius
debet honestate. Neque enim dignitas, neque bona
existimatio, neque gratia ibi esse potest, ubi non est
honestas neque virtus. Quibus si aduersetur quod con-
cupieris, nullus exitus nullusq; euentus fortunatus atq;
felix esse poterit. Cramissime scripsit de Cesare M.
Cicero, se mori milies malle quam vel cogitare quic-
quam eorum, quae ille concupiuisset essetq; adeptus.
Quid si tu velis? inquis, Age quis est cui velle non
liceat? Sed ego hoc ipsum velle miserius esse duco, quā
in crucem tolli. Vna res est ea miserior, adipisci quod
ita volueris. Haec enim leguntur his verbis in episto-
la quadam illius scripta ad Atticum. Sed differere
ista verbosius non est necesse. Utilitatis quidem species
amabilis & grata multorum oculos praestinguit, de qua
Horatius, quam bonus vir aut Poeta nescio, versum
profecto fecit promuntiantem cum falsam tum pernicio-
sam sententiam, quod sit:

—— Utilitas iusti prope mater & equi.

Quod neque ita est omnino, neque ab ullo asserendum.
At contra potius, iustum quod est & equum, id gi-
gnit utilia. Nam, secundum Ciceronem, hoc ipsum v-
tile putare, quod turpe sit, calamitosum est. Quod si
in opinione tantum mali est, quid de re ipsa atque ef-
fectu dicendum? Atque vincit ratio, nihil, quan-
tumuis magnum aliquod lucrum & vberremos fructus
afferre videatur, euentu suo utilitatem veram habe-
re, si

re, si turpitudine, id est, iniusticia non careat, vel etiam, si non virtute, ut iusticia, equitate, benignitate, & his similibus commendetur. Vnde enim virtutis pulcritudo abest, quamvis non etiam vitij deformitas appareat, ibi tamen defectus splendoris illius, ut luminis in sole, offensionem habet, neque etiam iustam reprehensionem effugit. Prauitatem quidem & improbitatem, & quicquid iniquitatis culpam sustinet, quomocumque eueniat, perniciem & damnum complecti, certum est. Neque disputabitur hoc à me subtiliter & presse, expositione Platoniarum rationum, ne nimis longe à communi hominum sensu atque iudicio orationem abducere videar. Etsi ista non baiulis & operarijs commemorantur, sed vel eruditis atque doctis, vel non alienis certe à Musis, id est, bonis literis ac artibus. Cum autem Ciceronis de his ipsis totus liber tertius de officijs, in medio sit & in complurium manibus versetur & legatur studiose, ad illa remitto eos qui forte de distractione nefaria & exitiosa, utilitatis atque honestatis plura adhuc requirent. Quod certe ante annos amplius bis mille & in proverbio fuit, & verum repertum est: Malum consilium consultori esse pessimum, retineri debet, persuasumque esse omnibus, & nostris temporibus quoque & deinceps perpetuo, quamdiu in terris hominum communitates durabunt, non demutatum illud iri. Quibus autem lucrum qualibet ex re, secundum Satyricum, suaue est, ijs comœdia etiam recte præcipit, in qua Senex hos versus pronuntiat:

Non ego omnino lucrum omne esse utile homini existimo.

Scio ego multos iam lucrū lutulentos homines reddidit.

*Est etiam ubi profecto damnum præstet facere quam
lucrum.*

*Verum etiam omnino esse statuatur id, quod nescio quo
poeta autore memoratur : Ita esse in fatis, ut malorum
consiliorum male mercedis fructus homines percipiant.
Hi enim versus Græci perquam elegantes à Plutar-
cho referuntur :*

*παρὰ μὲν δὲ, τῶν κακῶν βελουμάτων
κακὰς ἀποβάς ἐστι καρτέρας βροτῆς.*

*Quapropter etsi arridet interdum euentus & minus
recte consulta videtur approbare, animus tamen quie-
tus esse potest nunquam. Et Horatius pœnam clau-
do pede nunquam antecedentem scelestum, ait dese-
ruisse. Et in præsentia si hac aliquem fortuna liberat,
metu tamen vacat nemo. Quinetiam mori ipsa atque
procrastinatio atrocitatem colligere illius atq; cumula-
re solet, ut Plato non dubitet affirmare, eo esse mise-
riorem unumquemq; quo diutius impunitus sit; id est;
secunda fortuna utatur delinquendo. Ut autem in mor-
bis ea quæ ab ægrotis expetuntur & libenter admit-
tuntur. (Num ut ait idem Plato : νοσῶντι πᾶν ἡδὲ
τὸ πὸν ἐὸν τρέϊνον) cupiditate præpostera, primum de-
lectare & aliquantulum reficere solent, cum mox grâ-
uius illi affligantur, quemadmodum accidit ἡς qui in
febris aestu gelidam bibunt : sic etsi fortune quasi flatus
male consulta initio nonnunquam prouehit, impendent
tamen sanissima cursui illi tempestates, quæ sunt eo
magis pertimescendæ, quo longius tranquillitate qua-
dam serena proceditur. Neque vera atque sincera in
tali quoque prosperitate voluptas est atque delectatio,
cum honesta & recta consilia quamuis hæc euentus fru-
stretur, aut durior etiam exitus sequatur, semper ta-*

men

men consolando afficiant autores gaudio aliquo in ma-
ximis etiam sepe malis. Sed post longam sane disputa-
tionem qua commentando Ouidiana euagata sunt co-
gitationes nostræ, reuertatur oratio ad Phyllidos sen-
tentiam, detestantem eorum iudicia, qui, cum non
euentis sed factis cuiusq; fortuna ponderari debeat, de
consilio & facto ex euentu simpliciter pronuntiarent.
Vt si rediret Demophoon, ipsa coniugio eo sibi & suis
bene consuluisse statueretur. Cum ille autem non redi-
ret, diceretur male fecisse, quæ externum prætulisset
ciuibus suis. Quamuis enim sit in facto isto quod nota-
ri possit, vt minus provide aut considerate factum, si
turpitudo tamen & flagitium absit, non ideo damnari
debere hoc censet, minus quasi aspirante ei fortuna.
Sunt enim certe eiusmodi plurima, in hac vita, vt
quamuis seueritatem animaduertentum effugere ne-
queant, veniam tamen mansuetudinis mereantur. Est
enim humanum falli, labi, errare, decipi. Et huma-
nitatis non premere iacentes sed subleuare. Cum leges
etiam delicta distinguant, & designata impetu, casu
proposito, non eadem pœna plectant. Iam spes aut me-
tus, nisi ad flagitium atque dedecus manifestum defe-
ratur, quis tam inhumanus est, cui non ad id, quod
factum est culpa vel omnino vel aliqua ex parte libe-
randum, momenti nonnihil habere videatur? Nie-
tum quidem ab ijs, qui virtute præditi essent, quos so-
los sapientes vocarunt Stoici, voluerunt abesse. Fe-
ceruntq; adeo genus hoc vnum affectionum animi vi-
tiosarum, quæ illis πῶδῃ sunt, id est perturbationes,
Cicerone interprete. Spes vero haud scio an alio quam
ad cupiditatem seu libidinem, referri nequeat: Cum
boni illa quidem sit expectatio, sed non minus opinati

quam veri, cumq; falsa quoque esse soleat. Metnet
ne vero aliquis sapiens, id est, vir bonus, ne consili-
um rectum ac honestum, sequatur euentus minus for-
tunatus? Non inquirunt illi, sed *Ἀλαβήσεται*, id est,
adhibebit cautionem. Quid cauebit autem? Id nimirum
quod non potest prestare. Ergo quo euadat res
perfecto metuet, vel saltem, ut nos etiam noua verba
exquiramus, sollicitabitur. Sed eripiatur huic metus:
Nunquid spes quoque, in bona praecipue conscientia
adimenda, ac falsa est ipsius itidem Phyllidos hac sen-
tentia:

Quaecumq; ex merito spes venit, aqua venit. *ἴα*
Si illi constare sibi volent, adimendam & hanc esse di-
cent, cum & motus quidam sit vehementior, &
pertineat, nisi fallor, ad eam, quam *ἐπιθυμία* nomi-
narunt, id est, quemadmodum verbis M. Ciceronis
supra appellauimus, cupiditatem seu libidinem. Imo,
inquiet fortasse aliquis, ad eam, quam *βέλων*, id est,
voluntatem quae quid cum ratione desideret, ut haec *ἰά*
Ἀπάθεια perhibeatur, id est constantia, affectio nimi-
rum laudabilis. Sed alia hac esset schola argutiarum
Stoicarum, tam verbis quam sententijs abhorrentium
à communi hominum sensu, quam explicare in praesen-
tia non est visum, ad propositum praesertim minime
necessariam. Itaq; nostra de euentus consideratione com-
mentationis expositio hoc fine terminetur.

G R A E-

3. Vitam regi fort.) libro Tuscull. Quæst. V. A-
pud Plutarchum græcus versus extat :

ἴσθι τύχῃ τὰ θνητῶν πρᾶγματ' ἐκ δούλια.

In libello de fortuna.

4. Pindarica fortas.) Olympiorum V. εὖ δ' ἔχουσιν
σοφοὶ καὶ πολίτας ἔδοξαν ἔμμεν.

5. Euripidis autem versus est :

τὸν εὐτυχουῶτα καὶ φρονεῖν νομίζομεν.

Locus autem Herodoti extat in libro primo.

6. Exord. carere fi.)

ἐκ ἑσ' ἀπ' ὀρχῆς ἔκαλῃς, τέλει καλόν.

Ad Olynthi defens.) In prima Olynthiaca :

πρὸς γὰρ τὸ τελευτάϊον ἐβαν ἕκασον

τῶν περπαρξάντων, ὥς τὰ πολλὰ κρίνει).

Sententia autem Ciceronis est in Oratione pro C. Ra-
birio Posthumo.

Phocion Athen.) Plutarchus in Regum &

Ducum exercitus dictis de Phocione : ἐπεὶ δὲ λέ-
γων ποτὲ γνώμῃ πρὸς τὸν δῆμον ἀδοκίμει, καὶ πάν-

τας ὁμαλῶς ἰώρα τὸν λόγον ἀπδεχομένη, ἐπιστρα-

φείς πρὸς τὰς φίλας εἶπεν : ἔδηγε κακὸν ἢ λέγων ἔμ-

αὐτὸν λείψας ;

Aristoteles magnop.) τὸ μὲν ταῖς τύχαις ἐπα-

πολθεῖν ὁδαιῶς ὀρθόν. ἔγδ' ἐν ταύταις τὸ εὖ ἢ κακῶς,

ἀλλὰ προσδεῖται τῶν οὐκ ἀνθρώπων βίβη, καθά-

περ εἶπομεν, κύρια δ' εἰσὶν αἱ κατ' ἀρετὴν ἐνέργειαι

τῆς δούλειμονίας.

τύχῃ γὰρ ὀρ.) Ex Antigona :

Et erigit fortuna enim, & sternit eadem

Quicquid

Quicunq; habent aduersam eam, & qui prosperam.

Theognidea sunt :

ἔδεις κύρ' ἄτης καὶ κέρδε' αἰτί' αὐτοῖς.

ἀλλὰ θεοὶ τῶν δωτορῶν ἀμφοτέρων.

Demosthenes.) In oratione Olynthiaca secun-
da :

μεγάλη γὰρ ῥοπή, μᾶλλον ὅ ὅλον ἡ ἴσχυι παρὰ πάν-
τες τὰ τῶν ἀνθρώπων πρᾶγματα.

Gutta vna.) Φέλω τύχης σαλαγμὸν ἢ πῖθον φρε-
νῶν.

Sophoclea sunt Electra :

δοκῶ μὲν εἶδέν ῥήμα σὺν κέρδει κακόν.

Et ab Athenæo libro III. ex eiusdem Poetæ fabula
cui nomen Æthiopes, hæc referuntur,

σὺ δ' αὐτὸς ὥσπερ οἱ σοφοὶ τανῶν.

δικαί' ἐπαίνει τὰδε κερδαίνειν ἔχου.

Pindari sententia : Et apud Deum, siue, in manu Dei
istorum exitus est. Siramnis dictum extat apud Plu-
tarchum δὲ πεφθίμασι βασιλείων καὶ στρατηγῶν. Si-
militer & Antiochi. Itemq; admonitio Phalerei,
nec non Phocionis responsum. De Gyge historia in
primo libro Herodoti. De Lysandro sunt Plutarchi
narrationes. Historia Thebarum captarum est apud
Xenophontem libro Græcæ historiæ V.

Namq; apud nos.) In nebulis Aristophanis

--- φασὶ γὰρ δυσβελίαν

τῇδε τῇ πόλει πρᾶσθαι. ταῦτα μὲν τοὶ τὰς θεὰς

αἰτ' αὐτοὶ ὅμοις ἐξαμάρτην ἐπὶ τῷ βέλῳ τρέπειν.

πεισῶμεν δέ.) id est :

Fatale enim est ; ut consilia habeant mala

Dimittis retributa sibi itidem mala.

Nam

Nam ut ait idem Plato.) in Phaedro : Aegrotanti sunt omnia suavia , quæ non aduersantur.

Cum non euentis.) Sententia est Ciceroniana in oratione in Pisonem.

NON COMPLENTE OMNES
chartas commentatiuncula exposita, adiungere placuit
scholion de Congiario à parente meo aliquando per-
scriptum , petente hoc præcipue dignitatis viro,
quasi ipsum quoque congiarij loco ad eru-
dita doctrine studiosos.

Congiarium à congio ductum esse , perspicuum est;
ut à carne carnarium , à cella cellarius , à stipendio
stipendiarius , à sale sularium. Hanc esse pleriq;
eam mensuram tradidere , quam ab aliquibus scribi-
tur habere apud Græcos χῆς, hi sunt sextarij plus mi-
nus sex. Sextarij autem mensuram satis constare cre-
ditur, esse Cyathorum XII. quasi assen, quib. tantum
fere completur quantum his temporibus & locis com-
munis est mensura eius quæ Nosela dicitur , cuius di-
midium cotula quæ & Hemina. Vnde manifestum fide
congialem mensuram esse ferme æqualem ei quæ trium
nostratium quibus Canthari est appellatio. Est igitur
mensuræ nomen congius , unde congiarium ductum
esse ostendimus , ut cadus , quem περὶ ἄλῳ Græci,
capientem congios decem. Sextarij tanquam assis,
ut diximus , nominarunt & partes , ut trientes , Cy-
athos quatuor , quæ fuisse vsitata mensura poculorum
seu calicum videtur. Sextantes , Cyathos duos , de
vices, XI. Suetonius scribit Augustum Cæsarem
quoties

quoties largissime se inuitaret, senos sextantes non
 excessisse, ut sobriorum calices fuisse hos existimare
 liceat. Nam sex sextantes, sextarium complent.
 Quemadmodum autem sextaria, nimirum vasa, dixe-
 runt, ita & congiaria appellata sunt, ut L. tabernæ,
 De instructo F. S. instr. L. Sunt autem alia men-
 sura liquidorum, id est ὀργῶν, alia aridorum, quæ ἐγχε-
 τὰ sunt, alia communes fuerunt amborum. Congium
 quidem, scimus poni inter ea quibus liquida metiri
 tunc consueuerunt (& de his sane ubiq; fere nomen
 hoc reperitur, & egregius ille potor Nouellius Medio-
 lanensis de quo Plinius lib. XIII. cap. ultimo,
 Tricongius ab uno trium congiorum haustu fuit appel-
 latus) haud scio tamen an suspicari liceat hunc arido-
 rum quoq; modum quendam fuisse, cum Suetonius ita
 scripserit in Augusto: Eidem populo promissum qui-
 dem congiarium reposcenti, bonæ fidei se esse respon-
 dit. Non promissum autem flagitanti turpitudinem &
 impudentiam edicto exprobrauit. Et post nonnulla
 ut tandem annonæ conualuit, impetum se cepisse scri-
 bit, frumentationes publicas in perpetuum abolendæ.
 Plinius etiam scripsit lib. XXXI. cap. VII.
 Ancum Martium Regem salis modia sexies mille in
 congiario dedisse populo. sed ut hoc in medio relin-
 quatur, communi certe appellatione congiarium dictum
 de eo constat, quod & donatium vocarunt, libera-
 litatis munus tributum populo militibusue. Græci
 ἐπίδοον nominarunt, cum primæ largitiones frumen-
 torum & carniū & epulorum fuerint. Quin &
 militibus frumenta metiendo diuidebantur. Et Græco
 nomine ἐπὶ πωλῆς à cibo mercedes militiæ significantur.
 Stipendium certe est ἀσπίς, quam pecuniam fuisse sci-

mus & militibus primum decretum ex publico, cum ante de suo quisq; acciperet, eo tempore quo de bello Valentibus inferendo actum est. Anno urbis condite circiter CCCXLVIII. ut Livius scripsit lib. IIII. A. V. C. Salarium autem Plinius loco paulo ante indicato, docuit à sale dictum, quod sal honoribus militiaq; interponeretur, magna apud antiquos autoritate. Idq; nomen & de premijs & mercedibus scimus appellatum, & legitur Dig. de Offic. ass. & Mandati. Fuisse autem congiarium & militibus datum, eo planum fit quod scripsit Cicero Attico, Legiones congiarium ab Antonio accipere noluerunt. Et Qu. fratris filio spem magnam congiarii fuisse libro X. Vnde & singulis quibusdam donata ita appellari solita, intelligi potest. Quemadmodum & de ioco apparet, quem Fabius Quintilianus lib. VI. capite, ut nunc libri distincti sunt, IIII. memorat, his verbis. Fabius Maximus incusans Augusti congiariorum, quæ amicis dabantur, exiguitatem, Hemina esse dixit. Nam congiarium cum sit commune liberalitatis atque mensuræ, à mensurâ ducta imminutio est rerum. Hoc enim ioco amicis data munera congiariorum nomine indicantur, & congiarium nomen mensuræ quoque esse ostenditur, qua scilicet prisca liberalitas vita adhuc frugi uteretur. Est autem iocus in eo, quod Maximus similiter ab Hemina Heminarium fecit, ita munerum Augusti exilitatem notans. Nam Hemina, ut diximus, est sextarii dimidium, atq; hac forma nominis parvæ mensuræ, id est, semissis, unde illud ductum esset, rerum imminutionem per μεταλψω demonstravit.

FINIS.



The following is a list of the names of the persons who have been appointed to the various offices of the County of ... for the year 1900.



Biblioteka Śląska

462 212

II

~~Starodruk~~